



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

Quòd Constantinus primus imperatorum fabricandi Ecclesias licentiam  
tribuit. v.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

cipes, qui penè totius orbis monarchiam tenebant, ad fidem Christi & ad baptismi sacramenta concurrerent.

*Quòd sacerdotes agros quos vendere solebant, ad communem utilitatem Ecclesis tradebant.*

*Cap. III.*

**V**identes autem sacerdotes & leuitæ & reliqui fideles, plus utilitatis posse adferre, si hæreditates, & agros quos vendebant, Ecclesiis quibus præsidebant episcopi traderent, eò quòd lex sumptibus eorum tam præsentibus quàm futuris temporibus plura & elegantiora possent ministrare fidelibus communem vitam deducuntibus, quàm ex precio ipsorum, cœperunt prædia & agros quos vendere solebant matricibus Ecclesiis tradere, & ex sumptibus eorum viuere.

*Quo tempore viri religiosi se ipsos domino consecraverunt, ædificantes basilicas in suis fundis.*

*Caput IIII.*

**A** billo enim tempore & deinceps viri religiosi non solum possessiones & prædia quæ possederant, sed etiam semetipsos domino consecraverunt, ædificantes basilicas in suis fundis in honore sanctorum martyrum per ciuitates, ac monasteria innumera, in quibus cœtus domino seruientium conueniret. Denique reges & præfides ac magistratus non solum hæc licentiam tribuere, sed etiam ipsi propria largiti sunt per vniuersa regna terrarum, vnde alerentur egentes qui nihil in mundo possidebant, Ecclesiæque fabricarentur atque restaurarentur, Deoque & Ecclesiæ eius ritè famulantium, seruorumque illius supplementa absque necessitate tribuerentur.

*Quòd Constantinus primus imperatorum fabricandi*

*Ecclesias licentiam tribuit. Cap. V.*

**E** quibus vir religiosissimus Constantinus primus fidem veritatis patenter adeptus, licentiam dedit per vniuersum orbem in suo degentes Imperio non solum fieri Christianos, sed etiam fabricandas Ecclesias, & prædia tribuenda constituit. Denique idem præfatus princeps donaria immensa, & fabricam templi primæ sedis beati Petri principis apostolorum instituit, ad eò vt sedem imperiale qua Romani principes præsidebant, relinqueret, & B. Petro, suisque successoribus profuturam concederet.

L iij

*Ex decre.*

*Urban.*

*papa, ca.*

*2.*

*Ex decre.*

*Melchia.*

*papa, ca.*

*12.*

*Ex eodem*

*cap. 30.*